



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

II. Probatur libri Duodecim Prophetarum γνησιότης & antiquitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

te annos plusquam centum & triginta, cum mortuus fingatur biennio ante dimissos Israëlitas, quod vix credibile est. At ea nos facile solvimus, geminum Habacucum fuisse statuentes, priorem Prophetam, Manassis coetaneum, cujus vaticinia supersunt ad hanc diem; alterum Prophetam quoque, qui escam ad Danielelem deferre iussus est. Hunc fuisse de tribu Levi ostendit Lemma, historiae Beli & Draconis praefixum in editione Septuaginta Interpretum, quod exhibet Hieronymus in Proemio Commentariorum Danielis, & nos supra adduximus. Ille vero Symeonis tribu oriundus fuit, ut est apud Pseudo-Epiphanium & Pseudo-Dorotheum, in libris De vitis Prophetarum. Sed id pluribus infra persequemur. Neque verò de Libri hujus dignitate detrahit, quod Magistrum quemdam Judaeum praesente se objecisse narrat Hieronymus, nullum in veteri Testamento exemplum occurrere hominis gravi corpore volantis, & tantillo tempore tanta terrarum spatia tranantis. Quasi quaecumque vel in sacris, vel in profanis narratur historiis, fidem amittant, nisi similia proferantur exempla. Detur è sacris Codicibus exemplum Noachici diluvii, vel Sodomitici incendii, vel Metamorphoseos uxoris Lothi. Nos verò, qui Christum scimus à Diabolo in montis cacumen, ac Templi fastigium fuisse delatum, Habacuci historiae fidem facile tribuimus.

Hieronym.  
Praefat. in  
Dan.

Quintum ar-  
gumentum.  
Ezech. 14. 14.  
& seq. & 28. 3.

Hier. lib. 1.  
adv. Jov. c. 13.

XVI. Quintum demum argumentum procurrunt Anabaptistae ex istis Ezechielis: *Si fuerint tres viri isti in medio terrae, Noë, Daniel, & Job, nec filios, nec filias liberabunt.* Item: *Ecce sapientior es tu Daniele?* Quibus exprimitur vir quidam Daniel, grandis natu, & multorum liberorum parens; cum Propheta Daniel, quo tempore hoc scribebat Ezechiel, anno nempe Joachimi sexto, nondum pueriles annos excessisset. Id vero praecclare retunditur ex Hieronymo, qui ait Danielelem adhuc puerum inter grandaevoos homines ab Ezechiele fuisse collocatum, utpote qui ex somniis Regis apposite explanatis, & ex liberata Sufanna valde jam inclaruisset: ipsi vero non aliter liberos tribuisse, quam *ἐκ τῶν δούλων*, ac si dixisset, Etiam si liberos haberent Noë, Job, & Daniel, non eos pecnis eximere possent.

## DE LIBRO DUODECIM PROPHETARUM

### I. Disputatur de ordine librorum Duodecim Prophetarum. II. Probatur libri Duodecim Prophetarum *ἡλικιότης* & antiquitas.

Disputatur  
de ordine li-  
brorum Duo-  
decim Prophe-  
tarum.  
4. Ezech. 1. 38,  
39, 40.

Probatur li-  
bri Duodecim  
Prophetarum  
*ἡλικιότης* &  
antiquitas.  
Ezech. 49. 12.

Beth. Isr. ad  
Baba Bathr.  
cap. 1.

I. ANTEQUAM agamus sigillatim de libris Duodecim Prophetarum, pauca quaedam de iis in universum praefanda sunt. Notat Hieronymus aliter dispositos esse in Ebraico exemplari, ac in Septuaginta virorum Interpretatione, quam secutus est Auctor libri quarti Esdræ; secuti & Eusebius, & Pseudo-Epiphanium, & Pseudo-Dorotheus, à quibus Prophetarum scriptae sunt vitæ. At Ebraicum Codicem affectatus Hieronymus pristinam seriem restituit. Nulla tamen in sex postremis occurrit utrobique discrepatio, nulla in primo loco Osæ tribuendo: de reliquis concertatio est; nam Joëlem secundum, Amosum tertium, quartum Abdiam, quintum Jonam, sextum Michæam ponunt Ebraei: Septuaginta vero, Amosum secundum, Michæam tertium, Joëlem quartum, quintum Abdiam, sextum Jonam. Utram persequere sententiam, parum refert, coævi quippe fuerunt sex hi priores, exiguo vel nullo ætatis discrimine; atque hinc nata ea varietas est. Viri Synagogæ magnæ, à quibus in ordinem dispositi sunt, rationem habuerunt temporum, etiam in Abdiam collocando libro: quamvis Abrabaniel in eo seriem temporum interruptam censeat, & Abdiam ætate priorem fuisse Joële & Amoso, his tamen esse subiectum, tum quod profelytus fuerit, tum etiam quod in eodem ac illi argumento versatus sit. Sed de his mox viderimus.

II. Luculento porro Libri hujus antiquitatem testimonio comprobatur Sirachides, cum ait quadragesimo nono capite: *Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo: nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt se in fide virtutis.* Quæ quidem testificatio, etiam si reliquæ deessent omnes, omnibus Prophetarum vaticiniis, quæ hac collectione continentur, suam adstruit antiquitatem & *ἡλικιότητα*. Unumquodque tamen singulatim percensēbimus, & præter generalem illam & late patentem, privata sua cuique ac legitima continget probatio. Sed nec aspemandum est testimonium Auctoris Beth Israël, qui tradit Aggeum, Zachariam, & Malachiam Prophetias suas parvis Prophetis adjunxisse, & in grandius volumen compegisse, ne separatae propter exiguitatem

PROPOSITIO IV.

233

tem perirent. At cum R. Isaac Aramah, Praefatione in Canticum, Synagogae magnae Magistris libri Duodecim Prophetarum scriptionem videtur tribuere, sic intellige, quosdam à Prophetis illis fuisse de numero Sapientum Synagogae hujus, Aggæum videlicet, Zachariam, & Malachiam; totum vero Confessum prophetias horum Duodecim in unum volumen composuisse.

DE PROPHETIA OSEE.

I. *Disputatur de Osea. II. Probatur Prophetia Osee*  
γινώσκεις & antiquitas.

I. **P**ROPHETARUM Duodecim, qui Minores appellantur, sed & majorum *Disputatur* etiam quatuor primus censetur Osee, quippe qui primus omnium *de Osea.* οὐρανός futura prædicare aggressus sit, Ozia, Joathanis, Achazi, & Ezechiae, regum Juda, Jeroboami vero, filii Joas, regis Israel temporibus. Hoc inter suos munere functus est per longissimum annorum decursum, quos ad nonaginta proferunt Ebraei; proindeque ad summam vixerit senectutem: adeo ut Israëlitici regni, teste Hieronymo, futuram prænuntiaverit cladem, & luxerit ingruentem, & præteritam ad emendandum Judam commemoraverit. Tribu Isachar oriundum fuisse à Pseudo-Epiphonio & Pseudo-Dorotheo traditum est; oppido Bethlémes, non ut apud eos mendose legitur, Belemoth, quemadmodum à Drusio observatum est; patre Beerii, non Beera illo quem captivum abduxit Thelgathphalnasar, & cujus meminerunt Paralipomena, uti opinantur Ebraei: nam præterquam quod nomina discrepant, cum hic sit בארי, ille בארי; Propheta Isacharites fuit, ut dixi, alterum vero principem Rubenitarum fuisse Paralipomena indicant.

II. At vaticinii hujus auctorem se ipse declarat Osee tertio capite, sic de se *Disputatur* ἑαυτοῦ πορότος *Et dixit Dominus ad me: Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam* *propheta* *amico & adulteram: tum: Et sodi eam mihi quindecim argenteis: deinde: Et dixi ad* *Osea* *γινώσκεις* *eam, Dies multos expectabis me.* Inde porro plurima sumfisse Jeremiam deprehendimus: *cum enim scripsisset Osee secundo capite: Et cessare faciam omne gaudium ejus, solennitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, & omnia festa tempora ejus: sic eadem re-* *quiritur.* *præsentavit Jeremias: Et quiescere faciam de urbibus Juda, & de plateis Jerusalem, vocem sponsi & vocem sponsæ: in desolatione enim erit terra; quæ bis, tertioque repetit. Ea quo-* *Osc. 3. 1. & seq.* *que ita repræsentavit Ezechiel: Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, & sonitus cithararum tuarum non audietur amplius.* Talibus convitiis Hierosolymitanam Synagogam inceserat Osee: *Et hæc nescivit quia ego dedi ei frumentum & vinum & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal: hæc ipsa ei objicit Ezechiel;* *Ezech. 16. 16, & 123.* *Et sumens de vestimentis tuis, fecisti tibi excelsa, hinc inde consuata, & fornicata es super eis, sicut non est factum, neque futurum est. Et tulisti vasa decoris tui, de auro meo atque argento meo, quæ dedi tibi: & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis. Et sumisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illa: & oleum meum, & thymiana meum posuisti coram eis. Et panem meum, quem dedi tibi, simulam, & oleum, & mel, quibus enutrivisti te, posuisti in conspectu eorum, in odorem suavitatis, & factum est, ait Dominus Deus.* Reliquum Ezechielis caput, si quis cum Osee secundo conflixerit, paria omnia deprehendet: utrobique enim Hierosolyma acerrimis verbis castigatur propter impios idolorum cultus, qui adulterii & spurci amoris nomine adumbrantur, pœnæque olim infligendæ, atque iis demum toleratis venia scelerum condonanda, novumque faciendum fœdus præsignificantur. Similis sunt argumenti, quæ extant vicesimo tertio capite Ezechielis, atque hæc potissimum: *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata* *Ezech. 23. 41.* *est ante te, thymiana meum, & unguentum meum posuisti super eam.* Ita quoque Osee: *Osc. 3. 5.* *Et post hæc revertentur filii Israël, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum: hæc Jeremix pepererunt: Non dominabuntur Jacob amplius alieni, sed servient Domino* *Jer. 30. 8, 9.* *Deo suo, & David regi suo: & hæc quoque Ezechielis: Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus meus David princeps in medio eorum.* Ex hoc denique Osee: *Et adducet ventem ventum Dominus de deserto ascendentem, & siccabit* *Osc. 13. 15.* *venas ejus, & desolabit fontem ejus, & ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis: manifesto hæc Ezechielis expressa sunt: Et ventus urens siccavit fructum ejus: marcuerunt, & arefactæ sunt virgæ roboris ejus: ignis comedit eam: & nunc transplantata est in desertum, in terra invia & sitiienti.* *Ezech. 19. 12.*